

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3005

Auteur(s) : Henri III, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : bref/mandement

Authenticité : non suspect

Datation : 1254, 11 février

Lieu d'émission : Bazas

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

(Vidimus de Richard, évêque d'Avranches) Lettre du Roi Henri III au Bailli des îles de Jersey et Guernesey, reçue dans la Cour Royale à St Pierre-Port par Jean de Gray, fils de Richard de Gray, gardien des îles, en présence de Philippe de Carteret, Guillaume de Saumarais, Henri le Canelly, et autres. Il lui enjoint de rechercher quelle quantité de varech de mer les moines du Mont St Michel ont eu au temps de ses prédécesseurs et quelles coutumes ils ont eues par le passé, et de leur restituer tout ce qu'ils ont eu l'habitude de posséder, dans le cas où quelque chose en eût été pris.

D'enquête faite par le Bailli, il résulte que l'abbaye a, dans le temps du Roi Jean et du Roi Henri, perçu au Vale le varech et les aventures de mer, de même en Lihou et Jethou, et une quatrième partie en Guernesey ; qu'elle percevait annuellement 4 livres 10 sous tournois par la main du Bailli en trois paiements égaux aux termes usuels dans le château du Roi en l'île de Jersey ; qu'elle a eu le varech par toute sa terre de Jersey et qu'elle tient la terre de Noirmont par suite d'un échange fait avec le Roi pour terre en Aurigny.

L'enquête a lieu devant Henri le Canelly, Guillaume de Saumarais, Jean de St Remy, Guillaume Rohais, Olivier de Vallegerart, Raoul de Havelant, Guillaume Denis, Guillaume Pain, Jourdain de la Hougue, Jourdain dit l'Evêque, Thomas Horman, Raoul Gallichan, et Jean le Torner.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Société jersiaise, *Cartulaire de Jersey*, recueil de documents concernant l'histoire de l'île conservés aux archives du département de la Manche. 1er fasc., Jersey, Beresford, 1918, n° 15, p. 26-28.

Texte établi d'après a

Excellenti viro domino Edwardo excellentissimi Dei gracia Regis Anglie filio primogenito Ricardus eadem gracia episcopus Abrincensis salutem in Domino. Excellentie vestre significare volumus nos vidisse et diligenter inspexisse quasdam litteras non cancellatas non abolitas neque in aliqua sui parte vitiatas in quibus breve excellentissimi patris vestri continebatur sigillatas sigillis tredecim hominum vestrorum militum, armigerorum et aliorum hominum vestrorum legalium et etiam juratorum sub forma inferius annotata.

Anno regni domini Henrici Regis Anglie filii Johannis Regis tricesimo octavo, mense Martio die lune proxima ante festum Sancti Benedicti receptum fuit tale breve apud Sanctum Petrum in Portu in curia domini Regis coram domino Johanne de Gray, filio domini Ricardi de Gray custodis insularum cujus allocatus idem Johannes erat in insulis, et coram domino Phylippo de Cartraio, domino Guillelmo de Saumarais et domino Henrico Le Caneleu militibus et aliis juratis assisiarum :

Henricus Dei gratia Rex Anglie, Dominus Hybernie, Dux Normannie et Aquitanie, Comes Andegavensis, ballivo suo insularum de Guennerre et de Gerse salutem. Precipimus tibi quod per sacramentum legalium militum et vavassorum insularum de Guennerre et de Gerse per quos veritas poterit melius sciri diligenter inquiras quantum de werequo maris in insulis predictis et qualiter percipere solent abbas et monachi Montis Sancti Michaelis in periculo maris temporibus omnium antecessorum nostrorum et nostris et quos redditus et quas consuetudines habuerunt in eisdem insulis temporibus predictis, et cum per inquisitionem predictam certus fueris quid et quantum de predictis habere debent et solent tunc eos in pace illud habere permittas et si quid inde ceperis id eis sine dilatione reddi facias. Teste me ipso apud Vasatum anno regni nostri tricesimo octavo undecimo die Februarii.

Inquisitio tenta fuit ipsa die lune qua receptum fuit hoc breve. Isti juraverunt dominus Henricus Le Caneleu dominus Guillelmus de Saumarais milites, Johannes de Sancto Remigio, Guillelmus Rohes, Oliverus de Vallegerart, Radulfus de Havelant, Guillelmus Denis, Guillelmus Paen, Jordanus de Hoga, Jordanus dictus Episcopus, Thomas Hormant, Radulfus Galician et Johannes Le Torner qui dixerunt quod viderant et sciebant quod abbatia Montis Sancti Michaelis consuevit temporibus Johannis Regis et Henrici Regis percipere intus Wallium werequum et aventuras maris per visionem ballivi domini Regis seu allocati sui totaliter, exceptis auro, seia non operata, escarlata non scissa, et mantello escarlata novo absque estachiis ; similiter in Lyhou et in Ketehou. Alibi per insulam de Guennere ubi dominus Rex percipit medietatem suam percipere consuevit abbatia predicta temporibus predictis quartam partem nisi in illis que pertinent ad principis dignitatem que superius nominatur. Habet etenim dicta abbatia redditus suos super homines suos et alias libertates et consuetudines de quibus non est necesse facere mentionem. Consuevit etenim dicta abbatia percipere annuatim quatuor libras et decem solidos turonensium per manum Ballivi vel allocati sui, scilicet ad pascha, ad festum apostolorum Petri et Pauli, et ad festum Sancti Michaelis, ad quemlibet istorum terminorum triginta solidos in castello domini Regis in insula de Gerse. Item dicunt quod dicta abbatia temporibus Johannis Regis et Henrici Regis filii ejus consuevit percipere werequum suum per totam terram quam habet in insula de Gerse exceptis tamen illis que principi pertinent, et terram illam que vocatur Nermont in predicta insula tenet dicta abbatia libere cum pertinentiis suis ratione cujusdam excambii quondam facti domino Regi pro insula dAurene.

In cujus rei testimonium ad petitionem abbatis et conventus sepefati Montis sigillum nostrum presentibus litteris duximus apponendum. Valeat excellentia vestra in Domino.